DE FEBRI GASTRO-BILIOSA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM...

Carlo Bianchi

Digitized by Google

DE FEBRI
GASTRO-BILIOSA
Dissertatio Inauguralis

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS AC PRÆSIDIS FACULTATIS MEDICÆ SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM UT DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA SUMMIQUE IN MEDICINA HONORES AC PRIVILEGIA RITE CONSEQUANTUR IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

DOCT. FERDINANDO NOB. DE CATTANEI DE MOMO

CHEMIAE GENERALIS AC PHARMACEUTICAE PROF. ORD.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

MENSE SEPTEMB. ANNO 1844

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

Carolus Bianchi

NOVOCOMENSIS.

TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII.

Digitized by Google

156

Digitized by Google

DE FEBRI GASTRO-BILIOSA

Biliosa nuncupatur febris illa continua-remittens, ubi inter omnia ejusdem symptomata eminet morbosa bilis secretio, quae non solum quantitate, verum etiam qualitate plus minus advertitur alterata.

Febris haecce, a nonnullis quoque gastro-biliosa nunc vocata, jam ab antiquissimis temporibus medicis innotuit; ipse enim *Hippocrates* de eadem locutus est, et descripsit sub nomine *Sinoci Biliosi.* Dein *Hoffmann* illam tractavit sub nomine *febris cholericae*; *cholopyra* ab aliis nuncupata fuit. Ast febris ipsius descriptiones magis accuratas invenimus apud Neotericos, quos inter peculiarem mentionem sibi vindicant *Tissot*, *Rhein*, *Petrus Frank* in monographia de larvis morborum biliosis,

Digitized by Google

158

ubi describit quoque hanc febrim; *Hencher*, *Curri* de morbis biliosis in genere, denique clarissimus *Meli* qui binas monographias de febri biliosa nuper in lucem edidit. Sicuti vero haec febris diversis stipatur symptomatibus, ideo nil mirandum erit si ab auctoribus diversis nominibus compellatam invenimus.

§. I.

In homine sano, agentibus nonnullis causis, excitatur febris, et policholia, modo ut simplex et primaria dici ex vero mereatur: inde habentur casus, ubi primum infestus sit tubus gastro-entericus, unde et bilis male secernitur quin adsit febris, quae tardius obrumpit; et in hisce casibus agitur de febri biliosa secundaria.

In primaria observantur prodromi, uti sunt: dolor obtusus et sensus tentionis regionis epigastricae et hypochondriacae dexterae, nausea, aversatio ciborum animalium, lingua saepe spurca, sapor oris amarus, gravitas capitis, nisus in soporem, somnus valde inquietus; urinae nunc profundius tinctae, vel tantummodo leniter flavae, proclivitas in iram, non raro levis conjunctivae oculorum flavedo.

Digitized by Google

Hi prodromi evanescere possunt, sed quandoque post ipsorum apparitionem evolvitur febris cum horripilatione et frigore, quod ab initio alternat calorem, donec hic fiat continuus, molestus, intensior, matutino tempore remittens. Cutis interim est valde sicca; interdum si quid emanat sudoris, est parvus ac insimul efflorescunt ad cutem nonnulla exanthemata, potissimum urticaria et miliaria. Revera quoad calorem molestum, paucae sunt aliae febres in quibus adeo molestus esse solet calor, uti in febri gastro-biliosa. Hanc comitantur dedolatio artuum, pulsus frequentes duri, respiratio accelerata, sitis flagrans cum desiderio potuum acidorum praesertim si agitur de febri illa quae epidemice grassatur aestivo tempore. Lingua, ab exordio quandoque pura, mox fit spurca praesertim in parte media, et inde ad latera, ac papillae ejusdem flavae observantur.

Sunt ulli aegrotantes, qui papillas gustatorias adeo irregulares habent, ut quasi referant byssum flavum: sub altiori morbi incremento lingua magis magisque fit spurca versus margines flavicantes; caput intense dolet, et dolor iste semper ita saevissimus est, ut aegrotantes ad delirium usque excitentur.

Digitized by Google

Abdomen offert dolorem obtusum, maxime regionis hypochondriacae dexterae: urinae sunt parcae, flavae, croceo colore tinctae, quare sub hoc stadio vocatur morbus ab aliquibus medicis *febris biliosa hepatica.* Hoc stadium interdum durat paucis horis, saepe vero protrahitur ad aliquos dies. Bilis in sanguinem delata inter cutim effunditur, et febris tunc evadit gravior cum symptomatibus icteri; exoneratur quoque in duodenum, et inde oriuntur symptomata *febris biliosae intestinalis*; tunc evolvuntur ructus amari, lingua magis flavescit, sapor oris amarus fit, vomituritio ac vomitus ipse in scenam adparent, sub quo evacuatur bilis modo subviridis, vel flava, modo vitellina, scilicet ex fusco-bruna, cerulescens, interdum nigrescens; dentes sentiuntur quasi stupefacti, odor halitus foetens. Saepius evolvitur bilis in reliqua intestina, et habentur dolores colici, adomen inflatur cum meteorismo et tympanitide, atque oritur diarrhoea biliosa. Nonnunquam tunc adsunt dolores scindentes cum tenesmo, et evacuantur per anum substantiae bili ac sanguini mixtae; alias aeger etiam contorquitur, ita ut morbus formam cholerae induat.

Digitized by Google

§. II.

Mirandum non est si diversae ab auctoribus traditae fuerint denominationes hujusce febris, quia variant symptomata pro diversis adfectionibus hepatis, ventriculi, vel intestinorum ipsam comitantibus. Interdum patent symptomata policholiae adhuc vigentis in hepate; alias eminentiora apparent signa policholiae per totam fistulam gastro-entericam diffusae; quandoque phoenomena policholiae generalis.

Sunt porro et aliae animadversiones instituendae relatae ad conditionem pathologicam quae efficit, et sustinet febrim. Adsunt enim auctores qui febrim biliosam considerant uti symptoma hepatitidis, alii gastro-hepatitidis, gastro-enteritidis, etc.

Quandoque character inflammatorius attingit gradum majorem, atque tunc a veteribus vocabatur *febris biliosa ardens*, a recentioribus *febris biliosa phlogistica*, ut distinguatur ab illa simpliciter *irritativa*. Frequentissime decurrit cum inflammatione cujusdam visceris complicata, unde eidem impertitur character generalis inflammatorius.

Broussais jam a'pluribus annis defende-

Digitized by Google

1/12

bat ex gastro-enteritide enasci phoenomena febris biliosae, et gastro-enteritidem istiusmodi esse indolis biliosae. *Tommasinius* deinde declaravit omnem febrim biliosam nil aliud esse nisi ipsam hepatitidem. A nonnullis quoque dicitur *typhus biliosus* ex eo quod saepe symptomata nervoso-typhosa eadem decurrente in scenam adpareant. *Meli*, aliique asserunt febrim biliosam esse symptoma phlebitidis abdominalis, seu inflammationis venae portarum, quapropter anxietas, inquietudo, et cruciatus abdominales in aegrotantibus constituunt fere semper characterem ejus primarium.

Quatenus vero ille auctor admittit phlebitidem inesse praecipue ramis venae portarum, et quatenus hoc systema sanguiferum consentit valde cum systemate hepatico, ita sub hocce respectu convenit cum *Tommasinii* opinione. Ast si negari non potest inflammationes has semper cum febri biliosa conjunctas esse, in febri tamen biliosa quandoque inflammationes istiusmodi desunt, et contra aliae vigent, uti essent meningitides, dermatitides, etc. Dantur porro constitutiones in quibus omnes febres statim adsumunt characterem biliosum, quin inflammatio hepatis, aut tubi gastro-enterici nulla urgeat ratione.

Digitized by Google

Quibusdam causis excitatur aliquando exanthema, et pro varia aegrotantis constitutione ac dispositione, facillime in compassionem trahitur etiam tubus intestinalis; sed non semper haec passio est primaria; neque a resorptione bilis semper pendet febris biliosa, unde etiam febres simpliciter inflammatoriae inducendo aliquam incitationem hepati morbosam assumunt inde characterem biliosum. Haec febris indolem phlogisticam semper induit, ast non servat constanter ipsam per integrum suum decursum: interdum ob constitutionem epidemicam peculiarem, aut pravam medendi methodum, aut propter aegrotantis habitum corporis et conditiones phisicas speciales amittit dictum characterem inflammatorium, et differentem alium assumit, nempe nervosum, vel nervoso asthenicum.

§. III.

Generatim evolvitur febris biliosa in quavis individuorum aetate, et quocumque sexu. Ulli tamen dispositionem peculiarem in ipsam offerunt, sive quod eorum systema chylopoeticum sit magis irritabile, uti in aetate aut puerili aut virili, sive quod faveat morbi

Digitized by Google

164

evolutioni temperamentum irritabile, vel biliosum sic dictum; sive quod ipsum foveant effectum quaedam organismi circumstantiae, uti contingit in sexu foemmineo quando incipiunt, aut cessant catamenia.

Causae autem excitantes sunt ira, moestitia, erumnae domesticae, abusus potuum spirituosorum, emeticorum aut drasticorum, quapropter oriuntur alterationes secretionis bilis, unde habetur dispositio in hanc febrim: provocatur quoque aere humido, morbis aliis biliosis clandestine enatis et praegressis, infarctubus lienis et hepatis, habituali haemorrhoidum adfectione.

Calor aestatis atmosphericus quoque eidem effectui contribuit: et revera in quovis homine observari facile queunt diversae functionum mutationes physiologicae in quavis anni tempestate; unde nil mirandum, si in tempestate aestiva, ubi calor nimius sit, praecipue si ipsi adsociatur quoque humiditas, singulares inducantur mutationes praedisponentes ad morbos biliosos, et potissimum ad febrim de qua agitur.

In nostro clymate occurrunt morbi fere epidemice dominantes; et idem observatur in aliis quoque ragionibus, ubi perennes sunt conditiones atmosphericae evolutioni

Digitized by Google

morborum ipsorum faventes, uti in Hispania, Indiis, Neapoli, etc.; et hinc perennes observantur ibidem etiam febres biliosae. Ob atmospheram hinc calidam et humidam ingeneratur haec febris; unde inficiari non possumus summum influxum epidemicum in producenda febri biliosa, quem descriptum invenimus a pluribus auctoribus, potissimum a *Stholl.*

Licet tam extensum sit imperium causarum, tamen observatum fuit non semper nec solum ex hisce causis evolvi febres biliosas: ipsae porro excitantur quoque causis individualibus, substantiis salinis, abusu emeticorum et substantiarum irritantium, quo in casu irritatio fistulae gastro-entericae diffunditur ad systema venae portarum: deinceps inducuntur ira, impedita vel coibita cutis perspiratione; quapropter aestivo tempore dum calet corpus, si incaute individuum refrigerio exponitur, cito evolvuntur gravissimae febres inflammatorio-biliosae, aut rheumatico-biliosae, quia frequens est atrium originis horum morborum cutis ob intimam functionum relationem et sympathiam inter hocce organon et viscera chylopoetica; ex quo fit ut frigus etiam, aestuante corpore, admissum per potus frigidos, facillime hanc excitet febrim.

Digitized by Google

166

In nonnullis terrae regionibus, praecipue in tropicis, tales sunt et adeo notabiles aeris atmospherici vicissitudines de die et nocte, ut de die habeatur maximus calor, de nocte maximum frigus; unde apud illos populos haud infrequenter exinde tales excitantur morbi.

Aliis morbis quandoque se dat sociam, et reapse comitatur metritidem, cystitidem, peritonitidem, gastritidem, splenitidem; nonnunquam inflammationes longiores, uti pleuritides, pneumonitides: ex quo nil mirandum si dominantibus nonnullis aeris constitutionibus, quaecumque inflammatio characterem induat biliosum.

§. IV.

Prouti febris gastro-biliosa primaria erumpit, aut secundaria, et prouti gradum diversum attingit, diversas periodos percurrit, atque diversas obtinet terminationes. Non raro febres biliosae viribus solum naturae sanantur absque artis auxilio, et septima aut decima quarta, vel vigesima prima die omnino cessant, unde fas est dicere, ipsas decursum generaliter tenere septenarium.

Primitus febris moderatur, pulsus minus

Digitized by Google

frequens, sitis minus molesta fit. Saepe sub tali decremento contingunt nonnullae evacuationes criticae, uti per diarrhoeam, vomitum, aut choleram biliosam.

Interdum evacuationes gastricae plane deficiunt, sed locum habent aliae sub quibus morbus pariter imminuitur, uti epistaxis aut fluxus catamenialis vel haemorrhoidum, potissimum si fluxus isti cruenti prius evolutione morbi fuerint suppressi. Resolvitur quoque per sudores, urinam sedimentosam: nonnunquam in cavo oris comparent aphtae etiam copiosae et criticae; aliquando ad cutim efflorescunt urticaria aut miliaria, quaeque morbo finem imponunt.

§. V.

Felicem hunc exitum praedicare possumus, quando febris non sit intensa, neque cum graviori morbo altero complicata, et haud neglecta. Si febris intense urgeat, aut neglecta, aut complicata sit, tunc decurrit etiam maximo cum periculo, nam facile evadit chronica, divexans aegrum mensibus pluribus, qua propter labes remanent diversae, praecipue organorum digestionis, uti gastralgia, enteralgia, splenalgia, pertinax

Digitized by Google

168

alvi obstructio, aut diarrhoea plus minusve profusa, vomitus chronicus, intumescentiae viscerum abdominalium, decoloratio flava cutis, et albugineae oculorum, nempe icterus.

Interdum accedunt vertigines, obtusio sensuum externorum, initium amaurosis, fatuitas, corporis macies, hydrops, febris hectica. Neque desunt casus lethales, scilicet aegri enecantur, uti si in corpore debiliori, aut aliis vitiis corrupto gravis evolvitur febris: tunc excitantur facillime inflammationes viscerum pectoris, aut abdominis, vel cerebri quae transeunt in suppurationem, unde evolvitur febris hectica, quae aegros lethaliter consumit.

Non raro ob adfectiones meningum evolvuntur symptomata febris nervosae aut nervoso-putridae. Quamobrem dicunt medici febrim biliosam facillime in febrim nervoso-putridam transire, ex eo quod policholia facillime sanguinem vitiet et corrumpat. Tunc lingua induit colorem fuscum, nigricantem, halitus foetet, cutis inquinatur peticulis, milliaribus, abdomen meteoritice extenditur, et sub incremento omnium symptomatum aeger moritur.

Digitized by Google

§. VI.

Quoad therapiam rationalem, si reapse aliqua in usum trahitur, tunc febris haec in pluribus casibus feliciter sanari potest. Cura specifica non cognoscitur; ita ut diversimode curatur pro diverso gradu, individuorum natura, et morbi complicationibus. Indicationem primam desumimus a causis excitantibus: oportet compescere iram, corrigere praeexistentem morbum aliquem, qui metastaticam febrim induxit, quique pro sua natura curatur. Si non existunt adfectiones topicae, tunc emetica vel cathartica exhibenda sunt. Et remedia istiusmodi certe auxilio juvant quando vero non deteguntur, uti nuper dicebam, complicationes adfectionis inflammatoriae viscerum pectoris, cerebri, aut intestini, et contra praevaleant symptomata alicujus saburrae in sthomaco haerentis.

Saepe causae excitantes haud amplius praesentes sunt, et tamen morbus progreditur: tunc indicationes desumimus a statu dynamico virium vitalium, et conditione diaetetica generali. In pluribus casibus adest inflammatio systematis venae portarum, hanc

Digitized by Google

febrim sustinens; ideo in pluribus casibus methodus antiphlogistica indicata est. Hinc prosunt calor moderatus, quies animi et corporis, potus acidulus de aqua et aceto, vel succo mali medici, decocta emollientia, et non paucis quoque gratus est succus acidulus fructuum diversorum. Commendatur insuper decoctum hordei cum exymelle simplici, addito etiam aceto comuni; atque non raro per hanc medendi methodum, febris non valde intensa sanatur.

Si e contra in hisco casibus, videlicet febris biliosae incipientis non gravis, in usum trahitur therapia efficacior, omnia symptomata augentur, et morbus initio insons, fit periculosus. Si adsunt adfectiones locales, vel sicuti advertit *Meli*, eadem in systemate venae portarum haereat, tunc methodus antiphlogistica confert una cum applicatione hyrudinum prope locum doloris numero viginti usque ad triginta pro necessitate repetitas. Nunquam certe obliviscendum in hac morbi specie, sicuti in gastro-enteritide, remedia nuper memorata, et dictam hyrudinum adplicatione repetere oportere eatenus symptomata febrilia et localis adfectionis persistunt. Si adfectio haec innotescit in hypochondriis, tunc venae sectio

Digitized by Google

quoque necessaria evadit; sed sub abusu phlebotomiae in hac febri, nisi adsint graves inflammationes, morbus generatim intensitate augetur. In nonnullis casibus occurrunt haemorrhagiae, quae vices gerunt venae sectionum.

Si adsunt saburrae, necesse est ipsas exonerare. Quando habentur indicia effusionis bilis in sthomacum, auctores commendant calomel, remedia eccoproctica, ipsumque tartarum emeticum dosi refracta administratum. Inter eccoproctica sat bene conducunt tamarindus, manna, cassia, cremor tartari, sal amarus, sulphas sodae et potassae, raro oleosa. Sed interdum adeo exaltata est sensibilitas ventriculi, ut aeger non ferat haec remedia, et inde magisque innotescit tunc necessitas ad remedia tantum mitiora confugendi.

Interdum mitigatis symptomatibus inflammationis, remanent symptomata alia, quae designant exaltatam sensibilitatem: in hocce rerum statu sustinetur quid febris, atque tunc non amplius venae sectiones et remedia dicta sufficiunt, sed potius auxilio juvant saponaria, cichoreum, taraxacon, aquae sedlitzienses, martiales, serum lactis, rhabarbarina, et inter sales, sal mirabilis

Digitized by Google

172

Glauberi, vel terra foliata tartari. Monendum quoque est in cursu morbi systema venae portarum, et hepar ex intervallis iterum vel pluries pati sanguinis congestiones; quo in casu convenit hirudines admovere vasis haemorrhoidalibus. Si febris fit chronica, et lentum tenet decursum, atque non sufficiunt dicta remedia; laudantur tunc balnea generalia calida. Si agitur de subjecto summe irritabili, ubi signa continuant incitationis adauctae, si cutis morbosus calor advertitur, balnea illa tepida generalia, plus quam reliqua alia auxilia therapeutica, proficiunt. Si pedètentim assumit complicationes alias, et alium induit characterem, uti nervosum, tunc therapia adcommodanda est complicationis hujus formae et naturae.

Digitized by Google

THESES DEFENDENDAE.

1. Remedia antiphlogistica syphilidem non mederi.

2. Dari hydropes ex simplici mechanica lymphaticorum pressione.

3. Vitam organicam et animalem in oppositionem versari.

4. Hydrocephalum puerorum acutum vix non semper lethalem.

5. Natatum juvenibus non modo proficuum sed necessarium.

6. Narcotica inter et coffeam arabicam aliquam actionis oppositionem esse.

7. Metum summopere epidemiis favere.

8. Ex dynamicis potentiis morbos procreari organicos.

99 93901

Digitized by Google